

Leuita Iesuah & Cadmiel, Bani, Chafabne'ia, Serēb'ia, Hod'ia, Seban'ia, Pethach'ia, surgite, benedicite domino Deo vestro à seculo usque in seculū: & benedicat nomini gloria tua & excelsio in omni benedictione. Legendū est. super omnem benedictionē & laudem. significatur enim diuinum nomen superare omnem benedictionem & omnem laudem.

Et dixit Hexras. Hoc nō habetur in hebræo: sed continuatur oratio Leuitarū laudantiū Deum. Tu ipse domine solus tu fecisti celum & celū celorum. Iuxta heb. habet. celos, celos calorū & omnem exercitum eorum, terrā & omnia quæ sunt super eam, maria & omnia quæ sunt in eis: & tu uiuificas omnia hæc, et exercitus cæli te adorat. Dixit cælos ad cōprehendendum in genere cælos omnes: & dixit cælos cælorū ad explicandū in specie superiores cælos ab orbe lunæ & supra: hebraica enim cōsuetudine appellantur etiā cæli sphaera ignis & aer. Tu ipse domine deus. Iuxta heb. habetur. Tu ipse Iehouah Elohim. hoc est tu met Iehouah es Elohim, hoc est gubernator & distributor omniū. qui elegisti Ab'ram, & eduxisti eum de igne Chaldeorum. Iuxta heb. habetur. de Vr Chasdim, hoc est Chalætorū. an autem Vr sit nomen propriū ciuitatis, an significet ignē, aliās declarauimus tutius esse intelligere quod est nomē ciuitatis quā apocrypha sequi. & posuisti nomen eius Ab'rahā. Et inuenisti cor eius fidele corā te, & percussisti cum eo sedus ad dādum terrā Chenehanzei Chithei Emorei, & Perizei, & Iebusei, & Chirghasei ad dandum semini eius: & implesti uerba tua, quia iustus es. Et uidisti afflictionē patrum nostrorum in Aegypto: clamoremq; eorum audisti super mare rubrū. Et dedisti signa atq; portenta in Par'hone & in omnibus seruis eius & in toto populo terræ eius, cognouisti enim quia superbe egerant. Rectius legeretur. quod impiē egerant contra eos, quāuis utrūq; fuerit uerum: & quod superbe & quod impiē egerint Aegyptiū aduersus Israelitas. & fecisti tibi nomen sicut die hac. magnificatur nomen tuū cōmemorando illa mirabilia & terribilia quæ fecisti aduersus Aegyptios. Et mare diuisisti ante eos, & transierunt per mediū maris in sicco: persecutores autem eorum proiecisti in profundū quasi lapidē in aquas ualdas. Et in columna nubis ductor eorū fuisti per diē: & in columna ignis per noctē, ut appareret eis uia per quā gradiebantur. Super montē quoq; Sinai descendisti, & locutus es cū eis de cælo. Hoc ad literā fuit quando deus uniuersum populum est allocutus per seipsum, pferēdo decē præcepta, & dedisti eis iudicia recta & leges ueras, statuta & præ-

cepta bona. Hoc ad literā verificatur de præceptis datis à Deo per Mosem. Et sabbatum sanctificatiū tuum. Hebraicē habetur. Et sabbatum sanctuarii tui notificasti eis. Non est usquequam certum an sit sermo de sanctitate diei septimi ad commemorandum quietem Dei à creandis creaturis nouis (ut hoc tanquam præcipuum inter omnia carimonialia præcepta commemoretur in hac diuina laude. & iuxta hunc sensum hæc particula pertinet ad uerba Dei quæ per seipsum locutus est populo: quoniam inter illa uerba expressē continetur obseruatio sabbati) an sit sermo de ostensione quietis diuinæ quādo apparuit tāquam rex sedens septuaginta uiris in sanctuario suo cælesti: ut scribitur Exod. 24. ut sic intelligamus commemorari & laudari omnes tres modos quibus ipse deus in monte Sinai apparuit: uidelicet tum loquendo per seipsum uniuerso populo, tum loquendo Moysi ut instrueret populum, tum monstrādo seipsum tanquā in sanctuario cælesti quiescentem Moysi & Aharon & septuaginta uiris. & præcepta & statuta & legem præcepisti eis in manu Moysi serui tui. Panēque de cælo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxisti eis in siti eorum: & dixisti eis ut uenirent ad possidendum terram super quam leuasti manum tuam ut traderes eam.

Ipsi uerò & patres nostri superbe egerunt. Eadem dictio repetitur quam diximus rectius interpretari impie. uere enim & illi egressi de Aegypto & successores eorū patres nostri, impie egerunt. & indurauerunt ceruicem suam, & non audierūt præcepta tua. Et noluerunt audire, & non sunt recordati mirabiliū tuorū quæ feceras eis, & indurauerunt ceruicem suam, & dederunt caput ut cōuenterentur. Legendū est. ut reuenterentur ad seruitutē suam. Ad literam significatur rebello populi quando uoluerūt facere sibi ducem & reuerti in Aegyptum: ut scribitur nu. 14. quasi per contentionem. Iuxta heb. habetur. in rebellionē eorum. rebellauerunt enim tunc redeuntibus exploratoribus. tu autē deus propitiū, clemens, & misericors, longanimis, & multa misericordiam. Iuxta heb. habetur. & tu Eloha ueniarum misericors & misericorator, longus furorum & multus gratia non dereliquisti eos. Epitheta hæc Dei sumpta sunt ex Exo. 34. ubi declarata sunt. Et tū quando fecerunt sibi vitulum constabilem, & dixerunt: iste est deus tuus qui eduxit te de Aegypto: feceruntque blasphemias magnas. Legendum est. irritationes magnas. erant enim tanquam irritantes Deum in cultu illo idolatriæ. Tu in miserationibus tuis multis



multis nō dimisisti eos in deserto: colūna nubes non recessit ab eis per diem vt duceret eos in via, & columna ignis in nocte vt ostenderet eis viam per quam graderentur. Non est repetitio: sed manifestatio quod etiam tantum committentibus scelus Israelitis, non absit deus ab eis beneficium columnæ nubes per diem &c. Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos. Legendum est. ad faciendum intelligere eos. Donum internæ inspirationis ad faciendum intelligere eos peccatum proprium commemoratur: magna enim dei gratia fit vt homo intelligat peccatum suū. & manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti eorum. Quadraginta annis pascisti eos in deserto, nihilq; eis defuit: vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non attriti. Iuxta Hebræum habetur. non tumuerunt. quod longe maius beneficium fuit. Dedistiq; eis regna & populos, & partitus es eis sortes. Iuxta Hebræum habetur. & partitus es eos ad angulum. hoc est per lineas angulares assignando tribubus suos angulos ad habitandum. Et hoc specialiter dicitur de terra trans Iordanem quæ subiungitur: nam de terra promissionis postea subditur. & possederunt terram Sichon & terram regis Chesbon, & terram Hog regis Basan. Et multiplicasti filios eorum sicut stellas caeli: & adduxisti eos ad terram de qua dixeras patribus eorum. Abrahæ, Ishac & Iacob. vt ingrederentur ad possidendum. Veneruntque filii & possederunt terram. & humiliasti coram eis habitatores terræ Chenahaneorum. & dedisti eos in manum eorum: & reges eorum & populos terræ vt facerent eis iuxta voluntatem suam. Ceperuntque vrbes munitas & humum pinguem, & possederunt domos plenas omnibus bonis, cisternas excisæ, vineas & oliueta & ligna pomifera multa: & comederunt & saturati sunt & impingnati sunt, & abundauerunt deliciis in bonitate tua magna.

Proruocauerunt autem te ad iracundiam & recesserunt a te. Iuxta Heb. habetur. Et rebellauerunt & rebellauerunt contra te, & proiecerunt legem tuam post corpus suum. Exaggerando repetitur rebellio aduersus Deum. & prophetas tuos occiderunt qui contestabantur eis vt reuerterentur ad te. Hinc patet quod summarie collegit posteritatis peccata ad quatuor capita: videlicet rebellionem à Deo, contemptum legis diuinæ, & occisionem prophetarum monentium vt redirent ad Deum, & idolatriam. quæ occisio non legitur in prioribus temporibus iudicum & regum, sed in postremis temporibus regum. feceruntque blasphemias grandes. Iuxta Hebræum habetur. & fecerunt irri-

tationes

tationes magnas. Idolatriæ significant tanquã irritates deū impēdēdo diuinū honorē alteri: & hoc est quartū crimen. Et dedisti eos in manū hostiū suorum, & afflixerunt eos: & in tempore tribulationis suæ clamauerunt ad te, & tu de celo exaudisti, & secundū miserationes tuas multas dedisti eis saluatores & saluauerunt eos de manu hostiū suorum. Cūq; requiesissent, reuersi sunt ad faciendū malū coram te, & dereliquisti eos in manu inimicorum suorum & possederunt eos: conuersi sunt & clamauerunt ad te, & tu de celo exaudisti & liberaisti eos in miserationibus tuis multis temporibus. Lege librum iudicum: & inuenies toties Deum misericordem populi dedisse eis saluatores: propter hoc quod cū aliquanto tempore quiesissent saluati, reuertebantur pluries ad irritandū Deum, & deus iterum atque iterum miserebatur. successiue quoq; tempore regum similia euenerunt, inchoando à tempore Roboham filii Salomonis. Et contestatus es eis vt reuertentur ad legem tuam, ipsi verò superbe egerunt. Rectius legeretur. impiè egerunt, quoniam hoc potius sonat hebraica litera, & non audierunt mandata tua, & in iudiciis tuis peccauerunt quæ faciet homo & in eis. Ex Mose sumptum est hoc, & valde ad propositum: ad significandum videlicet quod si seruassent mandata diuinæ legis, vixissent ad perseuerandum in eis in terra promissionis: ac per hoc non seruando ea, reddiderunt se indignos terra electa ad diuinum cultū: ac per hoc vita in mandatis diuinis, quæ in sola terra promissionis seruari integrè poterant. & dederunt humerum recedentem. Iuxta Hebræum habetur. humerum rebellem. hoc est quod instar rebellis terga vertentis principi suo, se habuerunt ad te deus. & ceruicem suam indurauerunt & non audierunt. Et protraxisti super eos annos multos, & contestatus es eis in spiritu tuo per manus prophetarum tuorum. Ad literam de regno tam Israel quàm Iudæ hoc verificatur: quoniam non obstantibus tot vtriusque sceleribus, protraxit deus tolerādo multos annos, mittendo eis prophetas vt respicerent. & non auscultauerunt, & tradidisti eos in manum populorum terrarum. Assyriorum videlicet & Babyloniorum. In miserationibus autem tuis multis non fecisti eos in consumptionem nec dereliquisti eos. Duo beneficia inter puniendum commemorat. alterum quod non consumpsit eos tam qui erant in regno Israel quàm qui erāt in regno Iudæ. agnoscit autem hoc diuinum beneficium, quia merebantur consumi. Alterum quod non sunt derelicti

in



in terra captiuitatis eorum, sed uisitati à Deo, atq; per editum regium libertate donati ad redeundum in terram sanctam ad colendum summum deum ibidem: merebantur siquidem derelinqui sibiipsis. *quoniam Deus miserationum & clemens.* Iuxta Hebræum habetur. *quia El miserator & misericors tu.* El nomen est Dei quatenus est fortis. ratio siquidem redditur ex parte attributorum diuinorum: fortitudinis ad superandum omnes inimicos, misericordiae ad instar condolentis populo Israel, & miserationis consolando afflictum populum.

Nunc itaque Deus noster, magne, fortis & terribilis custodiens pactum & misericordiam. Hebraicè habetur. *Et nunc Elohe noster, El magne, potens & terribilis custos pacti & gratia.* Haec nunc oratio Leuitarum laudauit Deum confitendo peccata Israel & commemorando diuina beneficia: modò incipit petere recurrendo ad deum tanquam ad iudicem peculiariter Israelis, & fortem, magnum, potètem, terribilem: quoniam & iustitia & fortitudine & magnitudine & potètia & terrore uisus est deus circa eos culm puniuit. Adiungitur autem custos pacti & gratiae, ad commemorandum rationem exaudiendi hanc orationem. dicendo enim custos pacti, rationem exaudiendi proponit diuinum fœdus cõ patribus de terra promissionis &c. addendo autem & gratiae, fatetur orationem non inniti iustitiae, sed gratiae quam inchoauit Deus in Israel reduciendo eos de captiuitate, *ne auertas à facie tua omnem laborem.* Iuxta Hebræum habetur. *ne deficiat coram te omnis labor qui inuenit nos, reges nostros, principes nostros & sacerdotes nostros & prophetas nostros & patres nostros & totum populum tuum: à diebus regni Assur usque in diem hanc.* Ecce petitio: ut uidelicet coram diuina gratia non desit ratio malorum quae ipsi Israelite patiuntur & patres eorum passi sunt à tempore captiuitatis usque in diem hanc. *Et tu iustus in omnibus qua uenerunt super nos: quia ueritatem fecisti, & nos impie egimus.* Et reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri & patres nostri non fecerunt legem tuam: & non attenderunt ad mandata tua & testimonia tua qua testificatus es eis. Et ipsi in regno suo & in bonitate tua multa quae dediti eis, & in terra lata & pingui quam tradideras coram eis, non seruiuerunt tibi: nec reuersi sunt à studiis suis malis. Declaratur quòd hæc petitio ut considerentur mala quae passi fuerant & patiebantur, ideo non fit quia putatur eos iniuste passos esse: fatemur enim

enim quòd tu iustus es, & nos & nostri propter peccata nostra iuste affligimur & afflicti fuimus. *Ecce nos hodie serui sumus.* quia subiecti erant regi Persarum nec habebant proprium regem. proprias enim afflictiones enumerare incipiunt inchoando à seruitute. *& terra quem dedisti patribus nostris ut comederent fructum eius & bonitatem eius, & nos ipsi serui sumus in ea.* Legendum est. *ecce nos serui super eam.* Exaggeratio est seruitutis ex loco: quia uidelicet sumus serui in terra quam dedisti patribus nostris ut liberè frueretur omnibus bonis eius. *Et fruges eius multiplicantur regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra.* Altera afflictio commemoratur ad cumulum seruitutis. *& corporibus nostris dominantur & iumentis nostris secundum uoluntatem suam, & in tribulatione magna sumus.* Enumeratio est in specie malorum quae patiebantur. *Super omnibus ergo istis.* Pronomen istis demonstrat subiuncta in sequenti capitulo. *nos percutimus fœdus & scribimus: signantque principes nostri, & uita nostri & sacerdotes nostri.* Dicitio interpretata fœdus non significat pactum, sed potius fidelitatem: non audent dicere quod pacisci uolunt cum Deo, sed quòd promittunt fidelitatem & subscribunt & sigillant tanquam solennem contractum fidelitatis. sigilla autè sunt principum, Leuitarum & sacerdotum.

## CAPVT X.

**S**ignatores autem. Iuxta Hebræum habetur. *Et super signaturas.* Præsidentes apponentibus sua signa narrantur, ad insinuandum quòd ordinate fidelitas hæc promissa est. Nec dicitur super scripturas, sed super signaturas: ut intelligamus quòd subscribentes non egebant præsidentibus, sed vulgus neciens scribere (proferente quolibet proprium signum loco subscriptionis) præsidentibus egebat. *Nehem'ia Thirsatha filius Chachal'ia.* Ad differentiam aliorum Nehemiarum adiungitur Thirsatha: hic enim erat dux populi. *& Zidc'ia. Sera'ia, Hazar'ia, Iirme'ia. Pafshur, Amar'ia, Malchi'ia. Chatthus, Seban'ia, Malluch. Charim, Meremoth, Hobab'ia. Daniel, Ghinnethon, Baruch. Mesullam, Abi'ia, Mi'iamin. Mahax'ia, Bilghai, Semah'ia: hi sacerdotes.* Ex hoc loco habetur quòd Nehemias fuit ex genere sacerdotum, quauis non fuerit summus sacerdos. *Et Leuita: Iesua' filius Azan'ia, Binui de filiis Chenadad, Chadmiel. Et fratres eorum: Seba'ia, Hodi'ia, Cel'ia, Pela'ia, Chanã. Micharechob, Chasab'ia, Zacchur,*



Zacchur, Sereb'ia, Seban'ia, Hodi'ia, Bani, Beninu. *Capita populi: Par'bos, Pachath'moab, Helä, Zathubani, Bunni, Haxghad, Bebai, Adoni'ia, Big'uai, Hadin, Aterchixi'ia, Haxzör, Hodi'ia, Chasum, Bezai, Chariph, Hanathoth, Nebai, Magpihas, Mesullam, Chexir, Mese'iaxbel, Xadoc, Iadduah, Pelat'ia, Chanan, Hana'ia, Hofeah, Chanan'ia, Chassub, Halloches, Pilcha, Sobec, Rechum, Chasabna, Mahafe'ia. Et Achi'ia, Chanan, Hanan, Malluch, Charim, Bahana: & reliqui de populo.* Rectius legeretur vt iacet in Hebræo. & residuum populi, vt significetur q̄ non solum dux, sacerdotes, Leuitæ & capita populi, sed etiam residuū populi conueniunt ad superintendendū vt singuli sua signa darēt, *Sacerdotes, Leuitæ, ianitores, cantores, Nethinai & omnes qui se separauerunt à populo terrarum ad legem Dei.* Aduerte prudens lector quod cum quatuor mētio facta fuerit (videlicet sacerdotum, Leuitarum, capitum populi & residui populi) discernitur nunc dicendo quod sacerdotes quidem absque vlla exceptione iurauerunt, & similiter Nethinai: de Leuitis vero dicitur Leuitæ & ianitores & cantores. quoniam in malā partem trahatur (tanquā nō omnes Leuitæ iurauerint) interpretandum est quod tam Leuitæ sine titulo dignitatis quā Leuitæ constituti in dignitate cantorū & ianitorum iurauerūt. De capitibus autem & residuo populi exceptio fit, dicendo & omnis separatus à populis terrarū ad legē Elohim: nisi enim aliqui nō separati remansissent, nequaquam fuisset hæc clausula adiuncta. *vxores eorum, filij eorum & filia eorum.* Non sat fuit vt viri consentirent, sed etiam consensus vxorum & filiorum ac filiarū requisitus est ad hanc fidelitatem præstandam. *omnes qui poterant sapere.* Iuxta Hebræum habetur. *omnis sapiens intellector.* Commonentes fratres suos sortes eorum. Modus describitur quo res gesta est: videlicet quod sapientes & præditi intelligentia legis excitabant viros fortes ad huiusmodi fidelitatem promptē iurandam. vnde & statim subditur. *& venientes in execratione & in iuramento ad ambulandum in lege Elohim.* Descriptis personis & modo, describitur consequenter iuratio tam execrando quā inuocando. & res iurata primum in genere: videlicet ad ambulandū in lege iudicij vniuersorum & seruandam vniuersa illius præcepta. *quæ data est in manu Moysi serui Dei.* Nomen est Elohim. Moyses siquidē verè fuit seruus Elohim, hoc est Dei legislatoris. *& ad custodiendum & faciendum omnia mandata domini Dei nostri.* Iuxta Hebræum

bræum habetur. *Iehouah domini nostri.* Non solum legislatorem, sed fontem essendi ac dominum Israelis appellant: vt se quoque seruos eiuſdem profiteantur. *& iudicia eius & statuta eius.* Et quod non dabimus filias nostras filiis terræ: *& filias eorū non accipiemus filiis nostris.* Et populi terræ afferentibus merces & omne venale in die sabbati ad vendendum, non accipiemus ab eis in sabbato & in die sancto: *& dimitemus annū septimum & exactiōnem omni manus.* Non sat fuit iurare obseruationem legis & præceptorum in genere, sed quædam quauis in lege contenta explicari in specie oportuit: quia habebant specialem difficultatem vel ex abusu post reditum ex captiuitate (vt connubia cum externis & emere in sabbatis) vel ex non viu: vt contribuere pro iugi sacrificio, pro lignis &c. hæc enim cōsueuerant dare boni reges. similiter dare decimas, primogenita, primitias & reliqua pro victu sacerdotum & Leuitarū desueuerant, sicut & ea quæ erant septimi anni seruare: & propterea horum specialis mētio facta est. *Et statuemus super nos præcepta vt primam tertiam partem sicti in anno, ad opus domus Dei nostri.* Ad primam propositionem & munus iuge & holocaustum iuge in sabbatū & calendis, ad solennitates & ad sancta & ad peccata, vt exoretur pro Israel: *& in omnem usum domus Dei nostri.* Præcepta libertatis septimi anni scripta erant in lege Moysi, præceptum autem hoc de tertia parte sicti pro sacrificiis & paupibus propositionis &c. non erat explicatum in lege Moysi: & existēte populo paruo & paupere oportuit determinare quid contribuendum esset à quolibet annis singulis.

*Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter sacerdotes & Leuitas & populum.* Circa prouisionem lignorum pro continuo igne altaris, sorte actum est nullo exempto ordine: nam sacerdotes, Leuitæ & populus submiserūt se fortibus ad offerendū ligna. *vt inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum.* Hinc apparet quod sortes ad hoc iactæ sunt vt distribueretur onus prouidendi de lignis in familias sacerdotum, Leuitarum & populi, per tempora. *à temporibus anni usque ad annum.* Iuxta Hebræum habetur, *temporibus determinatiu annuatim.* Ad hoc enim iactæ declarantur sortes, vt quælibet familia haberet certum tempus quo tantam lignorum offerret quantitatem. sic enim proprium tempus vnaquaque familia sortita, sine querela prouidebatur de lignis: quæ Nethinai ex lege solus tenebantur portare, quando e-



tant in multitudine magna. ut arderent super altare domini Dei nostri. sicut scriptum est in lege.

Et afferemus primitiua terra nostra & primitiua omnis fructus omnis ligni annuatim, in domum domini. Et primogenita filiorum nostrorum & inmentorum nostrorum, sicut scriptum est in lege: & primitiua bouum nostrorum & ouium nostrarum ut inferantur in domum Dei nostri sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri. Et primitias ciborum nostrorum. Iuxta Hebraeorum habetur. Et primitias pastarum nostrarum. In hodiernum usque diem seruare se aiunt Iudaei hoc, quod primum panem ex pasta faciunt singulae domus pro sacerdote. & libaminum nostrorum. Iuxta Hebraeorum habetur. & elevationum nostrarum. hoc est & quaruncunq; rerum quae offerri solent Deo. & fructus omnis ligni, musti & olei afferemus sacerdotibus ad gazophylacium. Iuxta Hebraeorum habetur. ad cellaria domus Elohe nostri. mustum enim & oleum ad cellaria quae erant iuxta domum Dei defererentur. & decima terra nostra Leuitis. & ipsi Leuitae decimas accipiet in omnibus ciuitatibus operum nostrorum.

Eruntque sacerdos filius Aharon cum Leuitis in decima Leuitarum: & Leuita offerent decimam decimae suae in domo Dei nostri ad gazophylacium in domo thesauri. Legendum est. ad cellaria, ad domum thesauri. appositiuè enim adiungitur domum thesauri. Eodem quoque modo lege cum subditur. ad gazophylacium enim. Legendum est. Quia ad cellaria deferent filii Israel & filii Leui oblationes frumenti, musti & olei. Ratio redditur loci: quia tam populus quam Leuitae tenentur deferre suas oblationes huiusmodi rerum ad cellaria domus Dei. Et ibi erunt vasa sanctuarium & sacerdotes ministrantes & ianitores & cantores. Ratio cellariorum ibi redditur: quia ibidem vasa sanctuarium & sacerdotes ministrantes &c. oportet manere. & ministri. Interpretans transponendo hanc dictionem mutauit literam. nam iuxta Hebraeorum tres tantum ordines supputantur: videlicet catorum, ianitorum & sacerdotum ministrantium: ad differentiam sacerdotum, catorum & ianitorum qui completa vice ministerij sui, non morabantur in templo. pro ministrantium enim victu oportebat cellaria ibidem esse. & non dimittemus domum Dei nostri. Ratio redditur oblationis omnium pertinentium ad sacrificia & victum sacerdotum & Leuitarum: videlicet ut non relinquatur domus Dei absque debito cultu & debitis ministris.

CAP.



Habitauerunt autem principes populi in Ierusalaim. Relit Nehemias ad propositum de ciuitate Ierusalaim parum habitata. hoc enim proposuerat in principio capituli septimi: & tanquam digressionem faciens, narrauit scripta ab eodem capitulo usque ad hoc. reliquum vero populus misit sortem ad tollendum unum de decem ad habitandum in Ierusalaim ciuitate sancta. & nouem partes in ciuitatibus. Ecce modus quo multiplicata est habitatio in Ierusalaim. Benedixit autem populus omnibus viris spontaneis ad habitandum in Ierusalaim. Hinc apparet quod praeter decimum quenuque sorte habitantem in Ierusalem, multi fuerunt spontanei habitatores Ierusalem, quibus populus benedixit imprecando eis bona.

Et hi sunt principes prouincia qui habitauerunt in Ierusalaim & in ciuitatibus Iehuda. Duo proponuntur: videlicet habitantes in Ierusalem & habitantes in urbibus Iudae. Et est in hoc loco Iuda nomen regni. explicatur enim quod non habitauerunt in urbibus regni Israel, sed in urbibus regni Iudae. habitauerunt unusquisque in possessione sua in ciuitatibus suis. Declaratur distributio habitationum in regno Iudae. Israel, sacerdotes & Leuitae & Nethinai & filii seruorum Salomonis. Quinque ordines habitantium in regno Iudae distinguuntur: videlicet sacerdotes, Leuitae, Nethinai, filii seruorum Salomonis, & Israel: sub hoc enim ultimo ordine comprehenditur reliquus populus. Et in Ierusalaim habitauerunt de filiis Iehuda & de filiis Biniamin. Narrantur in specie primum habitatores Ierusalem, & deinde habitatores in regno Iudae. de filiis Iehuda Hathai filius Huxai, filii Zechariae, filii Amar, filii Sephar, filii Mahalal, el de filiis Perem. Et Mahase filius Baruch filii Chai, Chozai, filii Chaza, filii Hada, filii Ioari, filii Zechariae, filii Silonitis. Omnes filii Perem qui habitauerunt in Ierusalaim, quadringenti & sexaginta octo viri fortes. Et isti filii Biniamin: Sallu filius Mesullai, filii Iohed, filii Peda, filii Cola, filii Mahase, filii Iehiel, filii Tesab. Et post cum Ghabbai Sallai: nongenti & viginti octo. Et Ioel filius Zebri praepositus super eos: & Iehuda filius Senu super ciuitatem secundum.

De sacerdotibus: Iedah filius Ioari, Iachin. Sera filius Chilci, filii Mesullam, filii Zadoc, filii Mera, Ioth, filii Achitub principum domus Dei. Legendum est. dux domus Elohim. Ad differentiam ducis populi, summus sacerdos dicitur dux domus

Non Elohim:



Elohim. Et fratres eorū facientes opera templi, octingenti & viginti duo. Parui refert q̄ hebraicè scribitur in numero singulari opus. officiu. n. sacerdotale appellatur opus domus Dei. & Hada'ia filius Ierochā, filij Pelal'ia filij Amzi, filij Zechar'ia, filij Paschur, filij Malch'ia. Et fratres eius principes patrum, ducenti & quadraginta duo: & Hamassai filius Hazar'el, filij Ach'zai, filij Mesillemoth, filij Immer. Et fratres eorum potentes fortitudine, centum & viginti octo: & praepositi super eos, Zabdiel filius potentium. Non est visnequaue clarum an dictio interpretata potentium sit nomen proprium an appellatiuum. Et si est appellatiuum, interpretanda fuisset magnorum. amplectere tamē quod malueris. Et de Leuitis: Semah'ia filius Chassub, filij Hazycam, filij Chasab'ia, filij Bunni. Et Sabbethai & Toxabad super omnia opera quae erant forinsecus in domo Dei. Iuxta Hebrēū habetur, super opus extrinsecum domus Elohim, ex principibus Leuitarum. Narratur quod isti erant in ordine principum inter Leuitas: & officium eorum erat super externa pertinentia ad domū Dei. Externa autem intelligo ea quae extra septa ambitus domus Dei erant, siue essent in Ierusalem siue alibi. Et Matthan'ia filius Micha, filij Zabdi, filij Asaph princeps ad laudandum & confitendum in oratione, & Bacbuc'ia secundus de fratribus eius. Et Habda filius Sammuah, filij Ghalal, filij Ieduthun. Omnes Leuita in ciuitate sancta, ducenti & octoginta quatuor.

Et ianitores, Haccub Talmon & fratres eorum custodes in poris: centum & septuaginta duo. Et reliquum Israelis, sacerdotum & Leuitarum in omnibus ciuitatibus Iehuda: vnusquisque in hereditate sua. Et Nethinai qui habitabant in Hophel: & Zicha & Ghispa de Nethinaiis. Legendum est super Nethinaeos. narrantur enim praepositi Nethinaiis.

Et episcopus. Legendum esset. Et praepositi Leuitarum in Ierusalem. quannus quaestio de nominibus, paruipendenda sit. Huzzi filius Bani, filij Chasab'ia, filij Matthan'ia, filij Micha: de filiis Asaph cantores in ministerio domus Dei. Iuxta Hebrēum habetur. cantores ē regione operis domus Elohim. Modus quo distributi erant cantores (videlicet ē regione seinuicē spectantes, vt hodie in ecclesiis chorus contra chorum ordinatur) narratur, & nomine operis ipse cātus significatur. Praeceptum enim regis. Perfarum deuoti summo Deo. super eos erat. vt cultus diuinus persolueretur integrē cum cantoribus consuetis. & ordo in cātoribus per dies singulos. Iuxta Hebrēum habetur.

& fidelitas super cantores res diei in die sua. Ex parte regis erat praepceptum, ex parte cantorum erat fidelitas vt quolibet die officium persoluerent quod illa die solitum erat exhiberi. Et Pethach'ia. Nomen est viri de tribu Iudae. filius Mesazab'el de filiis Zerach filij Iehuda in manu regis in iuxta omne verbum populi. Iuxta Hebrēum habetur. ad manum regis, ad omnem rem populi. Minister regis erat iste: & propterea ad manum, hoc est ad opera regis Perfarum exhibenda, non ad ea dūtaxat quae ordinata fuerant à rege Perfarū pro domo Dei, sed etiam ad omnem rem populi. Superior tamen eo erat Nehemias: nam ille minister, iste dux erat.

Et in domibus per omnes regiones eorū. Iuxta Hebrēū habetur. Et ad villas in agris suis: de filiis Iehuda habitauerunt in Cir'iath, Arbah & in filiabus eius, & in Iecabzeel et villis eius. Et in Iesuab et in Molada et in Beth'pelet. Et in Chazar'suhal et in Beersebah et in filiabus eius. Et in Zic'lag & in Mechona & in filiabus eius. Et in Hen'rimmon & in Zor'ha & in Iarmuth. Zanoach, Hadullam & villis earū, Iuchis & agris eius, Hazeca & filiabus eius. & māserunt in Beersebah vsq; ad vallem Hinnom. Filii autē Bin'iamin in Mighabab, Michmas & Ha'ia & Beth'el & filiabus eius. Hatanathoth, Nod, Hanan'ia, Chazar, Rama, Ghithaim, Chadid, Zebolim, Neballat, Lod & Ono valle artificum. Et de Leuitis: diuisiones Iehuda in Bin'iamin. Narratis pertinentibus ad Ierusalē, narratur in hoc residuo capituli habitatores extra Ierusalē: primo filij Iudae, deinde filij Ben'iamin: de sacerdotibus. n. & Leuitis & Nethingis prenarratum erat. CAPVT XII.

**H** sunt autem sacerdotes & Leuita qui ascēderunt cum Zerababel filio Sealthiel & Iesuab: Sera'ia, Uirme'ia, Hexa. Non est iste Hezdras scriba descriptus primi Hezdra: 7. vt patet ex duobus, primum ex eo qd Zorobabel ascendit in Ierusalē tempore Cyri regis Perfarum circa principium regni eius: Hezdras autem scriba ascendit post aedificatum templum, lōge post ascensum Zorobabel, vt in eodem capitulo scribitur collato praecedenti capitulo, secundo quia Hezdras scriba nominatur in hoc libro, cognominādo eum scribam: vt in hoc eodē capitulo pluries apparet: iste autem nō cognominatur scriba, sed absolutē nominatur Hezdras. ex hoc enim qd in hoc eodem cap. ille sepe repetitur Hezdras scriba, iste autē qui venit cum Zorobabel absolutē nominatur Hezdras, intelligēdū relinquitur.



ad differentiã Hezdræ scribæ nominatur iste Hezdras ab-  
solutè. Amar'ia, Malluch, Chatus. Sechan'ia, Rechum, Meremoth.  
Hiddo, Ghinethoi, Abi'ia. Mi'iamin, Mahad'ia, Bilgha, Semah'ia  
& To'iarib, Iedah'ia, Sallu, Hamoc, Chilci'ia, Iedah'ia: isti princi-  
pes sacerdotum & fratres eorum in diebus Iesuah.

Et Leuitæ: Iesuah, Binnui, Cadmiel, Sereb'ia, Iehuda, Matthan'ia  
super hymnos ipsi & fratres eorum. Et Bacuc'ia & Humi fratres  
eorum unusquisque in officio suo. Iuxta Hebræum habetur. è re-  
gione eorum in custodiis. Ordo describitur inter istos Leuitas in  
custodiis quas exercebãt in domo Dei. Et Iesuah genuit Io'ia-  
cim: Io'iacim autem genuit El'iasib, & El'iasib genuit Io'iadah.  
Io'iadah autem genuit Ionathan: & Ionathan genuit Iadduah. In  
diebus autem Io'iacim erant sacerdotes principes familiarũ: Sera'ia  
Mera'ia, Iirme'ia Chanan'ia. Hexra Mesullam, Amar'ia Iehocha-  
nan. Melichu Ionathan, Seban'ia Ioseph. Charim Hadna, Meta-  
ioth Chelcai, Hiddo Zechar'ia, Ginnethon Mesullam. Abi'ie Zi-  
ch'ri: Min'iamin, Mohad'ia Piltai, Bilghe Sammuah, Semah'ia  
Iehonathan. Io'iarib Matthenai, Iedah'ia Huzai, Sallai Callai,  
Hamoc Heber. Chilci'ie Chasab'ia, Iedah'ia Nethan'el. Le-  
uitæ in diebus El'iasib Io'iadah & Iochanan & Iadduah, scripti  
principes familiarum: & sacerdotes in regno Darij Perse. Filij Leui  
principes familiarũ scripti in libro verborum dierum: & vsque ad  
dies Iochanan filij El'iasib. Liber paralipo. citatur: sed quæstio  
oritur quo pacto potest verificari quòd in libro paralipome-  
non scripti fuerint Leuitæ isti à diebus El'iasib nepotis Ie-  
suah primi summi sacerdotis post reditum ex captiuitate vs-  
que ad tempus Iochanan filij El'iasib: quoniam liber paralipomenon non se extendit ultra principium regni Cyri Per-  
sarum regis. Solutio est quòd ad literam citatur liber paralipomenon alter: hoc est qui vocabatur etiam verba dierum,  
in quo scripta erant verba dierum post captiuitatem: sed illò  
libro caremus, sicut & multis alijs libris prophetarũ. Et princi-  
pes Leuitarum Chasab'ia Sereb'ia & Iesuah filius Cadmiel &  
fratres eorum è regione eorum vt laudarent & consisterent iuxta  
præceptum Dauid viri Dei. Nomen est Elohim. & obseruarent  
eque per ordinem. Iuxta hebræum habetur. custodia è regione cus-  
todia. Dispositio custodiarum describitur vt chorus contra  
chorum. Matthan'ia & Bacuc'ia, Hobad'ia, Mesullam, Talmon,  
Hacub: custodes iamitores custodia in liminibus portarum. Hi in  
diebus Io'iacim filij Iesuah filij Iozadac: & in diebus Nechem'ia

ducit

Lucis, & Hexra sacerdotis scriba.

IN dedicatione autem muri Ierusalaim requisierunt Leuitas de o-  
mnibus locis eorum vt adducerent eos in Ierusalaim: ad faciendum  
dedicationem & letitiam in confessione & cantu, in cymbalis psal-  
teriis & citharis. Non significatur cõsecratio muri, sed solen-  
nitas celebrata perfectis muris tanquam in initio vtãdi mu-  
ris perfectis: quemadmodum dedicatio domus nouæ appel-  
latur initium vtendi ea cum solennitate factum adhibitis ec-  
clesiæ ministris ad benedicendum eam & ad laudandũ Deũ:  
dictio enim interpretata dedicatio, sonat principium vtendi  
re noua. Et quauis similis solennitas non legatur adhibita  
nouis muris Ierusalem perfectis tẽpore regum Dauidis, Sa-  
lomonis &c. Nehemias tamen adhibuit illam, eo quòd tan-  
quam miraculosè resuscitata videbatur Ierusalem sub regi-  
bus ethnicis. Congregatiq; sunt filij cantorum: & de campestribus  
circa Ierusalaim, & de villis Netophathi. Et de domo Ghilghal &  
de agris Ghebah & Hazmaeth: quoniam villas edificauerunt si-  
bi cantores in circumitu Ierusalaim. Et mundati sunt sacerdotes &  
Leuitæ. secundum ritum legis ad exercendum officia sua. &  
mundauerunt populum & portas & murum. populum quidẽ mun-  
dicia legali, puta aqua expiationis: portas autem & murum  
tum purgando à sordibus tum prædicta expiationis aqua. ad  
hoc enim insinuandum mundationi populi iungitur munda-  
tio portarum & muri sub eadem oratione.

Ascendere autem feci principes Iehuda super murum: & statui  
duos choros magnos, & ierunt ad dexteram super murum ad por-  
tam stercorũ. Et iuis post eos Hosah'ia & dimidium principum Ie-  
huda. Et Hazar'ia, Hexra & Mesullam. Iehuda & Bin'iamin &  
Semah'ia & Iirme'ia. Et de filiis sacerdotum cum tubis: Zechar'ia  
filius Ionathan filij Semah'ie, filij Matthan'ie, filij Micha'ie filij  
Zacchur, filij Asaph. Et fratres eius Semeia & Hazarel. Iuxta He-  
bræum habetur. Semah'ia & Hexra, Milalai, Ghilalai, Mahai,  
Nethan'el, Iehuda & Chanani cum instrumentis musicis Dauid vi-  
ri Dei. Quod ideo annotauerim vt hinc clarè videatur mul-  
tos fuisse tunc ibi Hezdras: nam in hoc eodem cõtextu nar-  
ratur iste Hezdras inter alios cum instrumentis musicis Da-  
uid viri Elohim, & simul nominatur alter Hezdras inter eos  
dicendo. & Hexra scriba ante eos. Vt enim prædiximus, ad dif-  
ferentiam aliorum Hezdrarum semper cognominatur Hez-  
dras scriba, ille Hezdras illustris. Nec sis adeo rudis vt intel-

Nan iii ligas



ligas illamet instrumenta musica quæ fecerat Dauid affuisse tunc, sed similia iis quæ ordinauerat Dauid. In porta fontis. Iuxta Hebræum habetur. Et super portam fontis & contra eos ascenderunt super gradus ciuitatis Dauid in ascensu ad murum: de super domum Dauid & vsque ad portam aquarum ad orientem. Aduerte prudens lector quod nisi verbū ascenderunt construat cum nominatiuo & fratres eius, nulla habetur constructio literæ: nā sic etiam iacet in hebræo. Cōsequēter autē dicendo & cōtra eos ascenderūt, pronomen eos demonstrat illos qui ascēderant super murū. Et est sensus ꝑ isti qui vocātur fratres sacerdotū seu Asaph, nō ascēderunt super eundem murū primi chori, sed super portā fontis ascēderūt super gradus mōtis Sion in ascēsu ad murū à super domū Dauidis vsq; ad portam aquarum ad orientē. Ita quod isti supputātur cum primo choro, contra eos tamen euntes per murum ciuitatis Dauid, quemadmodum enim mons Sion ciuitas Dauid murum habebat proprium, ita par fuit vt non deessent celebratores peculiariter muri illius: & isti (vt diximus) annectuntur primo choro. & chorus secundus. similis primo laudando Deum, ibat ex aduerso, & ego post eum. chorus sacerdotum & Leuitarum. & media pars populi. post me. altera enim medietas sequebatur primum chorum. super murum. Locus super quem gradiebatur tam chorus sacerdotum & Leuitarum quàm dux cum media parte populi narratur murus. & super turrim fuenorum. Hebraicè habetur. à super turrim furnorum & vsque ad murum latum. Et à super portam Eph'raim & super portam antiquam & super portam piscium & turrim Chanan'el & turrim Meab, & vsque ad portam ouium. describitur siquidem extensio muri super quem gradiebantur per turres & portas. steteruntque in porta custodia. Et steterunt duo chori in domo Dei. Nomen est Elohim. Terminus communis ad quem peruenit vterque chorus, templum fuit. & ego, & dimidia pars magistratuum mecum. Supplet quod omiserat. dixerat enim quod ipse sequebatur secundum chorum cum media parte populi: supplet modo quod etiam secum erat media pars magistratuum: vt hinc intelligamus quod altera medietas magistratuum erat cum primo choro. Et sacerdotes (Eliacim Mahafse'ia Min'iamin Micha'ia El'iohenai Zechar'ia Chanan'ia) cum tubis. Et Mahafse'ia & Semah'ia & Elbazar & Huxxi & Iehochanan & Malchi'ia & Helam & Hexer: & audire fecerunt

vunt cantores, & Tirzach'ia prapositus. Immolaueruntque in die illa victimas magnas & letati sunt. Dem enim letificauerat eos letitia magna. Nomen est Elohim. & etiam uxores eorum & liberi letati sunt: & audita est letitia Ierusalaim vsque in longinquum.

Recensuerant quoque in die illa viros super saxophylacia thesauri ad libamina & ad primitias & ad decimas, vt introferrent per eos principes ciuitatis in decore gratiarum actiones sacerdotes & Leuitas. Iuxta Hebræum habetur. Et fuerunt ordinati in die illo viri super cellaria ad thesauros ad oblationes ad primitias & ad decimas, ad coaceruandum in eis per agros ciuitatum partes legis sacerdotibus & Leuitis. Sic corrigenda est tota ista clausula, aliter scripta in vulgata editione. Et est sensus planus quod tunc constituti sunt viri ad congregandum omnia hæc quæ secundum legem sunt partes debitæ sacerdotibus & Leuitis pro eorum victu. quia letificatus est Iehuda in sacerdotibus & Leuitis astantibus. Letitia populi videntis sacerdotes & Leuitas cum tanto ordine, decore & deuotione diuina vacare laudibus, rediit pro ratione predicti ordinis. Et custodierunt custodiam Dei sui. Tria in specie bona officia sacerdotū & Leuitarum commemorantur. primum erga Deum quod custodierunt custodiam Dei sui, persoluendo debitis temporibus ac debito modo sacrificia cum laude diuina. secundum erga populum subiungendo. & custodiam expiationis. orando & expiando populum iuxta morem legis. & cantores & ianitores iuxta præceptum Dauid & Selomonis filii eius. Tertium est circa ordinem Leuitarum quo ad præcipua officia cantorum & ianitorum secundum statutum Dauidis & Salomonis. Quia in diebus Dauid & Asaph ab exordio erant constituti principes cantorum in carmine laudantium & consentientium Deo. Iuxta Hebræum habetur. principes cantorum & cantus laudis & confessionis ad Elohim. Principes cantorum à tempore Dauidis & Asaph erant super hæc tria: videlicet cantum, laudem & confessionem. & cantus quidem pertinet ad ipsam musicam: laus autem & confessio ad hymnos qui cantabatur vel pro simplici laude Dei, vel pro gratiarum actione ob beneficia recepta. & totus Israel in diebus Zerubabel & in diebus Nechem'ie dabat partes cantorum & ianitorum per dies singulos. Iuxta Hebræum habetur. rem diei in die suo. Et est sensus quod tempore debito tribuebant quod debebant:

Non iiii triticum



triticum tempore melsis, mustum tempore vindemiae, & sic de aliis. & sanctificabant Leuitas. hoc est tractabat Leuitas ut sanctos, ut dicatos diuinis ministeriis, dando eis decimas vt possent diuinis vacare. Et simili sensu intelligi quod Leuita sanctificabat sacerdotes filios Aharon: dabat enim decimam decimam Leuitae sacerdotibus. & Leuita sanctificabant filios Aharon.

## CAPVT XIII.

**I**N die autem illo lectum est in libro Moysi in auribus populi. Non solum vacauerunt diuinis laudibus in dedicatione muri, sed etiam diuine legis lectioni; & propterea dicitur quod in illo die lectum est in libro Moysi. & inuentum est scriptum in eo. Deute. cap. 23. quod non ingrediatur Hammonita & Moabita in ecclesiam Dei usque in aeternum. Nomen est Elohim: & vt declarauimus in idem, ecclesia seu congregatio Elohim significat in proposito collegium patrum gubernantium ciuitatem. Eo quod non occurrunt. Hebraice habetur. Quia non praenerunt filios Israel cum pane & aqua. quod & ibidem declaratum est. & confluxerunt. Iuxta hebraeum habetur. & conduxit contra eum Balam ad maledicendum ei, & conuertit Deus noster maledictionem in benedictionem. De rege enim Moab legitur Nu. 22. quod conduxit Balam: nullaque fit tibi mentio Hammonitarum circa illam conductionem. Factum est autem cum audissent legem, separauerunt omnem alienigenam. Iuxta hebraeum habetur, omnem mixturam ab Israel. Et est sermo de mixtura prohibita in lege: hoc est de mixtura ad regendum & gubernandum. separati siquidem sunt proselyti ex genere Hammonitarum & Moabitarum a conciliis ciuitatum, Et super hoc erat. Iuxta Heb. habetur. Et ante hoc El'iasib sacerdos praepositus in cellario domus Eloha nostri, propinquus Tobiae. Narratur quod ante huiusmodi separationem, El'iasib summus sacerdos (fuit enim nepos Iesuae primi post reditum ex captiuitate pontificis) erat praefectus cellariis domus Dei: & erat propinquus propinquitate affinitatis Tobiae Hammonitae. ita quod officium hoc habuerat El'iasib ante huiusmodi separationem. Fecit ergo sibi gazophylacium, Iuxta Hebraeum habetur, Et fecit ei cellarium grande. Non quod edificauerit Tobiae cellarium magnum, sed quia dedit ei usum cellarii magni quod erat cellarium rerum Leuitarum & sacerdotum: hunc enim sensum manifestant subiuncta. & ibi erant ante eum reponentes munera & huius

huius & vasa & decimam frumenti, vini & olei, partes Leuitarum & cantorum & ianitorum & primicias sacerdotales. Iuxta Hebraeum habetur. & ibi erant ante ponentes munus, ihus & vasa & decimam frumenti musti & olei, iustionem Leuitarum & cantorum & ianitorum, & eleuationem sacerdotum. Manifeste describitur quod El'iasib abstulit cellarium grande sacerdotibus & Leuitis, qui in eo recondebant thus & similia & vasa seu instrumeta opportuna & decimas iustas in lege pro Leuitis & cantoribus &c. & eleuationem: hoc est res oblatas a populo quas eleuabant sacerdotes offerendo Deo. peccatum itaque El'iasib describitur.

In omnibus autem his. Iuxta Hebraeum habetur. Et in omni hoc non fui in Ierusalaim: quia in anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babel veni ad regem. Pronomen hoc demonstrat peccatum El'iasib vtique videlicet & affinitatis cum Tobia, & ablationis cellarii a sacerdotibus & Leuitis ad usum Tobiae. Absentiam autem suam declarat Nehemias ad insinuandum quod ipso praesente non ausus fuisset El'iasib facere talia. & in fine dierum postulat a rege. Aut regis senectutem aut propria significatione per finem dierum. Et veni in Ierusalaim. & intellexi malum quod fecerat El'iasib Tobiae. subaudi esse: hoc est & intellexi malum culpa esse quod fecerat El'iasib Tobiae. faciendo ei cellarium in vestibulis domus Dei. Nomen est Elohim. Et haec est altera ratio mali: nam non solum sacerdotibus & Leuitis iniuriatus est El'iasib, sed etiam Deo: eo quod in atriis domus Dei erant cellaria illa, & propterea non debebant ethnicis concedi. Et malum mihi visum est valde: & projecit omnia vasa domus Tobiae foras. Appellatione vasbrum intellige hebraico more quaecunque tum vasa tum instrumenta operum. de gazophylacio, iam pluries dictum est cellarium significari. Praecipue & mundauerunt gazophylacium. Iuxta Hebraeum habetur. & mundauerunt cellaria. Quod ideo annotauerim, vt percipiatur multa fuisse cellaria viurpata ab El'iasib pro Tobia. & retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium. pro illuc vasa domus Elohim, munus & ihus. quae prius ibidem fuerant.

Et cognoui quod partes Leuitarum non fuissent eis datae. Aliud narratur malum perpetratum in absentia ipsius Nehemiae. & quod fugissent unusquisque in regionem suam. Iuxta hebraeum habetur. ad agrum suum. priuati enim publicis alimentis, ad quaerendum



quærendum sibiipsis victum propriis laboribus ac industriis seu artibus tãquam fugientes iuerunt. de Leuitis & cantoribus & de iis qui ministrabant. Legendum est. Leuita & cantores facientes opus. significantur enim Leuita facientes opera officiorum suorum in domo Dei. Et obiurgauit magistratus & dixi, quare dereliquimus. iuxta Hebræum habetur. quare derelicta est domus Elohim: nec sunt interrogantis, sed increpantis verba. & congregauit eos. Leuitas. & feci stare eos in stationibus suis. Et totus Iehuda apportabat decimam frumenti, vini & olei in horrea. Et constitui super horrea. Communius est nomen apud hebræos: nam vtrobique thesauri nomē habetur. Selem iam sacerdotem & Zadoc scribam & Pedai iam de Leuitis, et super manū eorum Chanani filium Zachur filij Matthan'ia: quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis credita sunt partes fratrum eorum. Memeto mei Deus meus super hoc: & ne deleas miserationes meas. Iuxta Hebræum habetur. gratias meas quas feci in domo Dei mei. Beneficia impensa domui Dei (tum reuocādo cellaria eius ad vsum sacerdotum & Leuitarum, tum congregando Leuitas fugatos à domo Dei, tum efficiendo quòd populus offerret decimas, tum ordinando thesaurarios fideles ad distribuendum ministris templi) appellat gratias suas, eo quòd gratuito animo hæc fecerit. & in ceremoniis eius. Iuxta Hebræum habetur. & in custodiis eius. Et appellat custodias ordinatam dispositionem ministrorum domus Dei ad exercēdum officia sua tempore debito.

In diebus illis vidi in Iehuda. Non dicit Iudæos, tãquam Iudæi non per seipfos, sed per alienigenas hæc exercerent in sabbatis. Tertium malum quod inoleuerat absente ipso narratur: videlicet violatio sabbati multipliciter. calcantes torcularia in sabbato & portantes acetos. Appellatur acerui multitudo fascium coadunata: sed materia fascium tempore vindemiæ non explicatur. & onerantes super asinos vinum & vasa & sicca & omne onus, et afferentes in Ierusalem in die sabbati: & conuersatus sum vt in die qua videri liceret venderent. Hinc apparet quòd huiusmodi violatio oriebatur à venditoribus, ita quòd res istas afferebant in Ierusalem venales. Et Tyrj habitauerunt in ea. Ierusalem. afferentes pisces & omnia venalia: & vendebant in sabbato filijs Iehuda & in Ierusalem. Ad explicandū illos qui erāt venditores, adiunctum est quòd erant Tyrj: vt per hoc intelligamus supradictos violatores sabbati non

non fuisse Iudæos, sed alienigenas, dicendo: quòd afferebāt omnia venalia, Iudæos autem peccasse emendo in sabbato. Et obiurgauit optimates Iehuda. vt pote consentientes violationi sabbati. & dixi eis, quæ est hæc res mala quam vos facitis & prophanis diem sabbati? Nōne sic fecerunt patres nostri, & adduxit deus noster super nos omne malum hoc & super ciuitatem hanc? & vos addidit iracundiam super Israel, violando sabbatum. Factum est itaque cum quiescissent portæ Ierusalem die sabbati. Iuxta Hebræum habetur. Et fuit cū obumbrarentur portæ Ierusalem ante sabbatum. Remedium ab ipso Nehemia adhibitum ne violaretur sabbatum describitur: videlicet quòd in die immediate præcedente sabbatum cū portæ Ierusalem obumbrarentur, hoc est essent sine sole: occasus enim solis significatur. & dixi & clausurunt ianuas, & dixi vt non aperirent eas vsque post sabbatum: & de pueris meis constitui super portas, vt nullus inferret onus in die sabbati. Quia sabbatum à vespera incipiebat, ideo à vespera vsque ad vesperam iussit clausas manere ianuas ciuitatis, vt sic non possent inferre in Ierusalem res venales. Et miserunt negotiatores. Iuxta Hebræum habetur. Et iacuerunt aromatarij & venditores omnis venalis extra Ierusalem semel & iterum. ad tentandū si exirent ad eos emptores. Et contestatus sum eis & dixi ad eos, quare manetis ex aduerso muri? si secundo hoc feceritis. Legendum est. si iteraueritis, iam enim dictum est quòd secundo hoc fecerant. manum mittam in vos: à tempore illo non venerunt in sabbato. Dixique Leuitis vt mūdarentur & venirent ad custodiendas portas & sanctificandam diem sabbati. In principio resistētia apposuit Nehemias aliquos de familia sua ad custodiam portarum: ordinauit tamen vt Leuitis incumberet cura custodiendi portas in die sabbati ne violaretur sabbatum inferendo onera & venalia: & quia hoc officium erat diuinum (vt pote ad obseruationem sabbati relatam) ideo Leuitas mundari iussit ad exercēdum officium hoc. etiam huius recordare mihi deus meus, & parce mihi secundum multitudinem misericordiarum tuarum. Hebraicè habetur. & miserere mei secundum multitudinem gratiæ tuæ. Quauis proponat coram Deo bona opera quæ ipse Nehemias fecit, non tamen confidere se in eis, sed in diuina gratia ac misericordia profitetur.

Etiam in diebus illis. Quartum malum multiplicatum in absentia ipsius Nehemiæ describitur. vidi Iehudæos ducētes uxores. Iuxta



Iuxta Hebræum habetur, qui fecerunt habitare feminas Asdodithidas, Hammonithidas, Moabithidas. Non narratur præsens, sed præteritum crimen, non alienigenarum, sed Iudæorum qui duxerāt vxores alienigenas. Et filii eorum pro dimidia parte loquebantur Asdodithicè; & nesciebant loqui Iehudaicè, sed secundum linguam populi & populi. Obiurgauitque eos & maledixit eis, & cecidit ex ipsis viros, non solum verbis sed factis castigauit eos. & decaluaui eos. Iuxta Hebræū habetur. & pilos euulsi eis. Nō solum percussit, sed etiam affixit euulsione pilorum, & adiurauit eos in Deo. Nomen est Elohim. vt non darent filias suas filiis eorum, & nō acciperent de filiabus eorum filios suos & sibi-ipsis. Puniuit facta & prouidit adiuratione ne iterum fierent. Nōne propter istas peccauit Selomo rex Israel? & in gentibus multipus nō erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum deus regem super totum Israel. Nomen est Elohim, Etiam ipsum peccare fecerunt mulieres alienigenas. An & nos inobedientes faciemus omne malum magnum hoc vt prauaricemur in Deum nostrum, ducendo vxores alienigenas? De filiis autem Io'iadab filii El'iasib sacerdotis magni, gener erat Sanballat Choronitæ. Inter eos qui duxerant alienigenas vxores commemoratur in specie vnus sacerdos magnæ autoritatis, eo quod erat vnus ex filiis Io'iadab filii El'iasib pōtificis: & hic innominatus erat gener Sanballat Choronitæ. quem fugauit à me. Ecce puniitio sacerdotis. Recordare domine deus meus. Iuxta Hebræum habetur. & recordare eorum Elohe mi. Quia non valebat punire sacerdotem nepotem pontificis quantum merebatur, ideo punitione eorum commendat Deo supremo iudici. cōtra eos qui pollunt sacerdotium, iusque sacerdotale & Leuiticum. Legē dum est. & pactum sacerdotii & Leuitarum. Isti enim cum El'iasib polluerunt pactum sacerdotum & Leuitarum: vt in principio huius capituli tractatum est. Igitur mundaui eos, Iuxta Hebræum habetur. Et mundaui eos ab omni alienigena. Præcedentia & subsequētia testantur quod pronomen eos demonstrat sacerdotes & Leuitas. Modus autem quo mundaui non est scriptus: an videlicet per diuortia, an per eiectionē à ministerio templi, quemadmodum dixit de nepote pontificis. & constitui ordines. Iuxta Hebræum habetur. & statui custodias. hoc est ordinatas dispositiones vicibus & temporibus alternis. sacerdotibus & Leuitis vniciue in opere suo. Et oblationi lignorum in temporibus constitutis & primitiis. Statuisse se custodias dicit quo

ad

ad tria. primum quo ad sacerdotum & Leuitarum officia: secundum quo ad oblationem lignorum pro iugi igne altaris, pro qua iacta fuerant sortes vt scriptum est in cap. 10. tertium quo ad primitias quæ debebantur sacerdotibus. Et appellatione primitiarum intellige alia similia. memento mei Elohe mi in bonum. Terminat librum supplicando Deo iudici summo vt memor sit eius in distributione bonorum, faciendo ipsum participem summi boni, donando eum bono quod est vere bonum, quod est beatitudo æterna. Et sic finitur liber Nehemias.

## THOMAE DE VIO GAIETANI CARDINALIS SANCTI XYSTI, IN LIBRVM ESTER COMMENTARII.



**I**n diebus Assueri. Iuxta Hebræum habetur. Es fuit in diebus Acha's ueros: ipse Acha's ueros imperans ab India & vsq; ad Aethiopiam, centum & viginti septem prouinciis. Iosephus in. 11. antiquitatum dicit regem hūc fuisse filiū Xerxis, & proprio nomine uocatum Cyrum: ita quod fuit alter Cyrus, sed à Graecis nuncupatus Artaxerxes, ab hebræis autē (vt hic apparet) nō cupatus Achasueros. Quare autem repetatur illius nomen, libenter discerem. In diebus illis quando sedit rex Acha's ueros in solio regni sui. Quia tempora Xerxis patris Assueri fuerant cōturbata (vt historix tradit) ideo dicit quādo sedit (hoc est quieuit) in solio pacificè. Susa ciuitas regni eius exordium fuit. Iuxta Hebræum habetur. quod in Susan palatio. Solium regium in palatio Susan narratur. In anno tertio regni sui fecit cōiuiū omnibus principibus & seruis suis: fortissimis Persarum, & Medorū, inclitis & praefectis prouinciarū. Iuxta Hebræum habetur. ducibus & principibus prouinciarum ante se. Ita quod legendum est fortibus Persarum & Medorum: & ibi fiat punctus, & subiungatur ducibus & principibus &c. Vt ostenderet diuitias & gloria. Legendum est. honoris regni sui. diuitias siquidem honoris regni sui ostentabat. ac magnitudinem